

mas ferarū maximasq; nunquam vidisse quod debeāt timere, & statim intelligere cur sit timendum.

De intellectu & memoria eorum. CAP. V.

**E**lephanti gregatim semper ingrediuntur. Ducit agmen maximus natu, cogit etate proximus. Annē transituri minimos prēmittūt, ne maiorum ingressu atterente alueum, crescat gurgitis altitudo. Antipater autor est, duos Antiocho regi in bellicis vsibus celebres etiā cognominibus fuisse: etenim nouere ea. Certe Cato, cum imperatorū nomina annalibus describeret, eum qui fortissime praeliatus esset in Punica acie, Surum tradidit vocatū, altero dente mutilato. Antiocho vadum fluminis experienti renuit Ajax, alioquin dux agminis semper: Tum pronuntiatum, eius fore principatum qui transisset: ausumque Patroclum ob id phaleris argenteis, quo maxime gaudent, & reliquo omni primatu donauit. Ille qui notabatur, inedia mortē ignominie prætulit. Mirus nanq; pudor est, victusq; vocem fugit victoris: terrā ac verbenas porrigit. Pudore nunquā nisi in abdito coeunt: mas quinquennis, scēmina decennis. Initur autem bienio, quinis (vt ferunt) cuiusque anni diebus, nec amplius: sexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen. Nec adulteria nouere, nullatē propter scēmas inter se praelia, ceteris animalibus pernicialia: nō quia desit illis amoris vis: nanq; traditur vnus amasse quandam in Aegypto corollas vendentem, ac ne quis vulgariter dilectam putet, miretur gratam Aristophani, celeberrimo in arte grammatica. Alius Menandrum Syracusanum incipientis inuenta in exercitu Ptolemæi, desiderium eius quoties non videret, inedia testatus. Et vngentariam quandam dilectam Iuba tradit. Omnium amoris fuere argumenta, gaudiū à conspectu, blanditiæq; inconditæ, stipesq; quas populus dedisset, seruata, & in suum effusa. Nec mirum, esse amorem, quibus sit memoria. Idem nanq; tradit, agnitum in senecta multos post annos, qui rector in iuuenta fuisse. Idem diuinationem quandam iustitiæ. Cum Bochus rex triginta elephantis, totidem, in quos seuire instituerat, stipitibus alligatos obieisset, procurstantibus inter eos qui lacefferēt, non potuisse effici, vt crudelitatis alienæ ministerio fungerentur.

Quando primum in Italia. CAP. VI.

**E**lephantos Italia primū vidit Pyrrhi regis bello, & boues Lucas appellauit, in Lucanis visos, anno Urbis quadringentesimo septuagesimo secundo. Roma autē in triumpho, septē annis ad superiorem numerū additis. Eadem plurimos anno quingentesimo secundo, victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Pœnis captos. Centum quadraginta duo fuere transueti ratibus, quas doliorum consertis ordinibus imposuerant. Verrius eos pugnasse in circo, interfectosque iaculis tradit penuria consilij: quoniam neque ali placuisset, neque donari regibus. L. Piso inductos duntaxat in circum, atque vt contemptus eorum incretaret, ab operarijs hastas præpilatas habentibus, per cir-

cum totum attos. Nec quid deinde ijs factum sit, autores explicant, qui non putant interfectos.

Pugnæ eorum.

CAP. VII.

**C**lara est vnus è Romanis dimicatio aduersus elephantum, cum Annibal captiuos nostros dimicare inter se coegisset. Nanq; vnus qui si pererat, obiecit elephanto: & ille, dimitti pactus si interemisset, solus in harena congressus, magno Penorum dolore confecit. Annibal, cum famam eius dimicationis contemptum allaturam belluis intelligeret, equites misit qui abeuntem interficerēt. Proboscidem eorum facillime amputari, Pyrrhi praeliorum experimentis patuit. Roma pugnasse Fenestella tradit primum omnium in circo Claudij Pulchri adilitate curuli, M. Antonio, A. Posthumio C O S S. anno urbis sexcentesimo quinquagesimo quinto. Item post annos xx. Lucullorū adilitate curuli, aduersus tauros. Pompeij quoq; altero consulatu, dedicatione tēpli Veneris victricis, pugnaere in circo viginti, aut vt quidā tradunt xvij. Getulis ex aduerso iaculantibus, mirabili vnus dimicatione, qui pedibus cōfossis repsit genibus in cateruas, arrepta scuta iaciens in sublime, quæ decidentia voluptati spectantibus erant in orbem circumacta, velut arte non furore beluæ iacerentur. Magnum & in altero miraculum fuit, vno ictu occiso. Pilum sub oculo adactū, in vitalia capitis venerat. Vniuersi eruptionem tentauere, non sine vexatione populi, circumdati clatris ferreis. Qua de causa Cæsar dictator, postea simile spectaculum editurus, curipis harenam circumdedit: quos Nero princeps susulit, equiti loca addens. Sed Pompeiani amissa fugæ spe misericordiam vulgi inenarrabili habitu querētes supplicauere, quodam sese lamentatione complorantes: tanto populi dolore, vt oblitus imperatoris, ac munificentia honori suo exquisita, flens vniuersus consurgeret, dirasq; Pœpio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Pugnaere & Cæsari dictatori tertio consulatu eius, viginti contra pedites quingentos: iterum totidem turriti cū sexagenis propugnatoribus, eodē quo priores numero peditum, & pari equitum ex aduerso dimicante: postea singuli, principibus Claudio & Neroni, in consumptione gladiatorum. Ipsius animalis tanta narratur clementia contra minus valida, vt in grege pecudum occurrentia manu dimoueat, ne quod obterat imprudens: nec nisi laceffiti noceāt, ideoq; gregatim semper ambulent, minime ex omnibus soluiagi. Equitatu circumuenti, infirmos aut fessos vulneratosue in medium agmen recipiunt: ac velut imperio ac ratione, per vires subeunt. Capti celerrime mitificatur hordei succo.

Quomodo capiantur.

CAP. VIII.

**C**apiuntur autē in India, vnū ex domitis agente rectore: qui deprehensum solitariū, abactūue à grege, verberat ferū: quo fatigato, trascendit in eum, nec secus ac priorē regit. Africa foucis capit, in quas deerrante aliquo, protinus ceteri congerunt ramos, moles deuoluunt, aggeres construunt, omniq; vi conan-